



Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

De Fideicommissis, Primogenitvris, Et Majoratibvs

Luca, Giovanni Battista de

Coloniae Agrippinae, 1690

Disc. II. Florentina majoratus de Guardis. De eadem materia discursus præcedentis, An feilicer in majoratibus Italiæ attendatur solùm ætas non curata linea, vel econtrà, itaut isti majoratus ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74060](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74060)

modi majoratum causa solent esse de majoribus eo saeculo in regione currentibus, in quibus hinc inde fere omnes clari nominis Juris Consulti totius Italiae seu regionis consulti solent, quolibet ad opportunitatem requirentis respondente; Quod autem ex pluribus in copioso numero pro utraque parte scribentibus, casus praebeat, ut aliquorum labores publicam ac perpetuam lucem habeant, illi vero aliorum oblitentur, atque in tenebris remaneant, non inde tamen inferendum est, ut ea pars, cui talis casus hanc majorem praebat prerogativam, censenda sit verior, si revera inspectis juris principis non sit talis, Atque in hoc consistit satis damnabilis pragmaticus usus attendendi majorem scribentium calculum, praesertim in consiliis cum solo calculo arithmetico; Quinimod eadem frequens quotidiana praxis docet minus tutam quod periculosa causam habere opinantes, majus scribentium fomentum tam in numero quam in pondere habeant, qui enim magis de suis juribus diffidunt, eo diligentius Juris Consultos ac Advocatos primi nominis adhibere student, Altera vero pars, quae de suis juribus magis fidit, hujusmodi graviores expensas negligit; Unde saepissime practici in plerisque Tribunalibus, praesertim in Rota, ita istius Tribunalis summam integritatem & charitatem experiendo, quod pro parte succumbente scribere consueverunt fere omnes seniores ac alicujus existimationis Advocati, quos vulgus primarios appellare solet; E converso autem pro parte victrice scribere solum causa Patronus, vel unicus junior Advosatus; Ideoque fabulae species esset asserere, quod dictorum Advocatorum venalibus informationibus sub consistorio vel controversiarum, aut disceptationum vocabulis publica luci, ut jacent proditis, ista in aliis causis debeant eam veritatem, quam firmare non potuerunt in eo praefato, ac individuo casu, pro quo principaliter edita fuerunt.

Et haec quoad articulum seu materiam in genere, seu in abstracto; Quo vero ad praesentem casum in specie, sive in concreto, cum ex supra insinuatis absolutum sit praemissa omnia, sive pro una, sive pro altera opinione, praesumptive tantum procedere, atque in casu merè ambiguae voluntatis, secus autem ista expressa vel etiam conjecturali in contrarium urgente; Ideo cum plura hinc inde in praedictis invicem pugnantibus votis seu motibus ponderarentur, vis responsi consistere videbatur in applicatione, seu in adminiculorum & conjecturarum praeponderantia, pro una, vel altera testatoris voluntate.

Pro saltuaratione siquidem ad favorem majoris natu, satis urgebat ea circumstantia, quod testator absque immutatione haereditatis primum testamentum revocasset, ordinando secundum cum diversa dispositione majoratus in linea Guidonis communis concurrentium stipitis, quasi ita unam lineam tantum constituere voluerit ab Ipso Guidone metiendam; Et consequenter quod cessante concurrentu plurium linearum, intrarent soli termini concurrentu plurium personarum ejusdem lineae, cujus prerogativa non urgente, altera prerogativa aetatis vincere debet; Atque hoc videbatur vehemens adminiculum, pro cujus corroboracione ponderabam ego ea quae habentur firmata per Rotam in Romana fideicommissi de Victoris coram Orthob. inter suas decis. 244. & 271. & coram V. crossio decis. 285. par. 1. rec. cum aliis, de quibus infra in eadem causa De Fideicommissi.

disc. 23. quod scilicet ita testator mutando, vel cancellando voluerit quid diversum disponere; Et quamvis in voto seu motu pro juniore ponderaretur, quod dictum secundum testamentum ordinatum esset pro supplenda neglecta institutione avi, attamen ex facti circumstantiis, ista remanebat nimium levis, & frigida responsio.

His tamen non obstantibus, adhuc nepoti ex fratre primogenito contra patruum, juxta votum majoris partis judicium, veritatem mihi assistere videbatur, cum mutatio testamenti aliam probabilem, ac substantialem haberet causam, quia nempe majoratus in priori testamento ordinatus fuerat in sola linea & descendencia Herculis junioris primi haereditis instituti, ideoque prudenter deinde cogitatus fuit casus, qui jam contrigit, mortis dicti Herculis absque prole, unde propterea ad breve tempus dispositio evanescere poterat, atque bona effici libera ad extraneos transmissibilia, & consequenter, dum dicta mutatio aliam probabilem haberet causam, dictum alium effectum non producit, ut adverteritur in eadem Romana fideicommissi de Victoris d. disc. 23. ubi concordantes, & sic resolutio capta pro majori parte mihi placuit, atque probabilis vis est, & ita mihi supponitur causam terminasse.

FLORENTINA MAJORATUS DE GUARDIS

Responsum pro veritate.

De eadem materia discursus praecedentis, An scilicet in majoratibus Italiae attendatur solum aetas non curata linea, vel e contra, ita ut isti majoratus differant a primogenituris; Et concluditur pro linea.

SUMMARIUM

- 1 *Facti series.*
- 2 *Respondetur pro majori natu in linea primogeniturae quamvis juniore.*
- 3 *Clarius ubi constat, quod testator habuit pro synonymis, majoratum & primogenituram.*
- 4 *In primogeniturae linea vincit aetas.*
- 5 *De alio casu consimilis controversiae, in quo etiam respondetur favore linea.*
- 6 *Si testator ordinavit majoratum inter descendentes plurium fratrum, vel sororum, an sit vincus majoratus, vel plures in qualibet linea discretive.*
- 7 *Quomodo ista quaestio decidi debeat.*

DISC. II.

Paulus de Guardis, instituta haerede Maria Francisca unica filia, in casu obitus istius absque filiis, ordinavit in quibusdam bonis fideicommissum particulare durabile per centum annos ad favorem primogeniti, & majoris natu filiorum & descen-

A;

descen-

de LUCA
de
tamentis
et cat.
CVI
S

descendentium Francisci de Guardis ejus transversalis, qui habuit duos filios, Paulum primogenitum, & Atilium secundogenitum, factoque casu dictæ substitutionis ad favorem dicti Pauli, isto adhuc vivente, cum unicum haberet filium natu minorem, Atque ex Atilio fratre duo superessent filii natu majores (incertum est ex qua parte,) pro veritate consultus fui, Ad cujus favorem per obitum dicti Pauli istud fideicommissum aperiretur.

In responso autem desuper edito, constituta eadem theoria, de qua in *Mutmen. disc. preced.*, relativæque opinionibus invicem pugnantibus, de quibus ibidem; Concludebam, quod licet attentio numero scribentium, ad favorem ejus, qui naturaliter primò natus est, respondendum videretur, & sic quod bona transitum facere deberent, ad filium natu majorem Atilii, spreto proprio filio Pauli possessoris, potissimè dum agebatur de dispositione transversalis, ut advertunt præsertim *Bellon. jun. conf. II. & Thesaur. jun. lib. I. quest. 37.*; Adhuc tamen cum versarem in casu minus dubitabili, in quo agebatur de continuatione in linea, in quam bona jam ingressa erant, tam ex auctoritatibus ac absurdis eodem *disc. precedenti* consideratis, Respondi pro filio Pauli primogeniti possessoris quamvis natu minoris.

Fortius verò, & pro meo judicio, absque principio dubitandi, ex eo quod unicum fundamentum, cui innititur opinio *Alexandri conf. 4. lib. 4.* & sequacium super majoratu saluatio, consistit in differentia, quam ipsi præsupponunt inter primogenituras ac majoratus Italiae, propterea tota quaestio esse solet super voluntate testatoris, an istos terminos habuerit pro discretis, vel potius pro synonymis, ac idem significantibus; Hæc autem quaestio in præsentem cessabat ob voluntatem expressè, ac in verbis declaratam habendi istos terminos pro synonymis, dum ordinavit dispositionem per verba præcisè in lingua materna, ibi, *Si debba riconoscere la Casata de i Guardis nei figli del Sig. Francesco il primogenito e maggiore di tempo &c.* Et sic observabam intrare vulgarem regulam *text. in l. ille aut ille ff. de legat. 3.*, ut in claris & expressis non intrent quaestiones & argumenta, dum ita contabatur testatorem istos terminos habuisse pro synonymis, Undè propterea cessabat unicum fundamentum tenentium partes majoris natu per naturam non curata linea, cum per eisdem admittatur propositio antiquitus satis controversa, hodie verò à foro omninò exulata, ut in primogenituris seu feudis individuis iure primogenituræ deferendis, primum locum occupet linea supra ætatem; Potissimè verò ubi agitur de continuatione in eadem linea, in quam bona ingressa sunt, cum aliqua dubitandi ratio, licet adhuc parùm probabilis, cadat ubi agitur de concursu ad novam successionem per alterius lineæ deficientiam apertam, itaut non urgeat regula *de linea semel ingressa &c.* juxta ea, quæ habentur infra in *Bonon. primogenitura de Podii disc. 15.* & latius occasione successione in feudis individuis juris Francorum in *Panormitana sub tit. de feudis disc. 13.*, sed ubi urgeat dicta regula, itaut agatur de continuatione bonorum in eadem linea, & in filios, ac descendentes possessoris morientis, tunc in primogenituris nulla cadit dubitatio.

Super eodem autem puncto pluries in diversis aliis consimilibus dispositionibus consultus fui, atque non urgentibus facti circumstantiis aliis suadentibus, juxta casus, de quibus in *discursibus pro-*

ximè sequentibus, semper eandem tenui sententiam pro prerogativa lineæ supra ætatem, etiam ubi ageretur de nova successione, itaut non urgeat regula *de linea semel admissa &c.*; Præsertim vero in una *Firmana ad petitionem Francisci Paronzi*; Cuius enim quidam Faustus in defectum propriæ potestatis jam sequutum, ac etiam descendentium Thomæ fratris, ordinasset fideicommissum ad favorem joris natu filiorum, & successivè descendentium Seluaggia & Juliae sororum, atque factus est casus ad favorem Thomæ utramque qualiterque habentis, quod scilicet esset natu major, ac filius Seluaggia sororis primogenita; Consultus fui in parte Francisci filii Juliae alterius sororis, An contingente casu mortis dicti Thomæ, superest filius, istis sive eorum primo quamvis juniori. Vel potius ipsi Francisco naturaliter natu majori iste majoratus debitus esset, & pariter respondere contra requirentem; Sed quia agebatur de casu, aliaque circumstantiæ postulabant, ut licet occasio inter has partes tolleretur, idcirco in hac ma discursiva inlinuavi omnes auctoritates, & fundamenta, quæ super saluatione habentur dicto *disc. precedenti* ad ostendendum ita arduum esse dubium, ac propterea honestè conconcedendum temperamento dignum, ut credo sequutum est.

Potissimè quia alia quoque aderat dispositio occasio, quod cum testator indefinitè ordinasset dictum fideicommissum ad favorem majoris natu inter descendentes ex dictis sororibus, quæ ex duæ; An scilicet talis dispositio intelligenda sit discretivè, ut scilicet utraque descendenti videretur esse cum restrictiva ad favorem majoris natu inter illos de qualibet, & sic quod essent duo majoratus, Vel potius esset unicus & indivisus inter omnes juxta quaestionem disputatam antiquiores ab eis relatos *apud Surdum de 369.* & per *Rotam in pluribus decisionibus editis Bonon. de Capacellis coram Pamphilio impressis in Giovagn. conf. 62. lib. I. à num. 33. ad 43.*, & quorum prima est etiam *dec. 566. par. I. rec.*; Licet enim in dictis decisionibus præcipuum fundamentum constitueretur pro majoratus unicivitate contemplatione agnationis deducta ex præsumptione assumendi cognomen & arma, quæ circumstantiæ in præsentem non concurrerant, Attamen alia circumstantiæ, totiusque contextus testamenti comprobare videbantur, non de duplici dicto majoratu, sed de unico inter omnes testatorem sentivisse, Attenta potissimum exiguitate alia qualitate onerum majori natu injunctorum, quæ si bona dividenda essent inter duos, quorum unus libet supportaret onera, quæ per testatorem injuncta fuerunt, successio ad nihilum fere rediret, atque onera superarent emolumenta. Undè cum hujusmodi quaestiones sint voluntatis & facti potius quam juris, idcirco ex ipsius particularibus circumstantiis verisimilem voluntatis suadentibus decidi debent, non autem quid in abstracto, sive in diversis casibus, diversas circumstantias habentibus, dicentes dicant, præsertim verò Consultentes ponderationes contentas *cod. disc. preced.*, in universa fideicommissaria materia perpetuo attendendas, ac principaliter præ oculis habendas.